



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regula Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

XXVIII. De pecuniarum distributione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

inentia : & sic obtenta prius licentia , & benedictione percepta , facultas sit unicuique redeundi ad sua Monasteria : nisi ex aliqua causa fuerit necesse aliquos remanere. Præsidentens tamen & Visitatores vltimi recedant.

7. Modus autem, hæc omnia pronuntiandi, vt ab omnibus idem ordo seruetur , erit iste. Videlicet primò pronuntientur Prælati. Secundò, ordinationes confirmatæ : Tertio, ordinationes nouæ. Quarto, Admonitiones. Quinto, Mutationes Fratrum. Sexto numerus professorum fratrum. Septimò , Fugitiui & expulsi ac licetiati : qui specificè nominentur, & à quo Monasterio. Octauo, Specificentur nominatim defuncti omnes, & in quo Monasterio. Nono, Numerus defunctorum habentium litteras gratiosas. Decimo, Triginta Missæ pro dictis habentibus litteras gratiosas. Vndecimò , Impositio taxæ , siue taxarum. Duode imo, Locus futuri Capituli. Tertio decimo, Licentia recipiendi Nouitios ad professionem : & postremò Procurator in curia, ac Depositarius Congregationis.

De pecuniarum distributione.

CAP. XXVIII.

ABSOLVTO itaq; Capitulo, Depositarius cum licentia Patris Præsidentis, omnibus Prælati Marsupia Monasteriorū quorū

nomi-

- nomine fuerint deposita restituat.
2. De pecuniis verò, quæ secundum ratam Monasteriorum fuerint exactæ, primò & deinde omnia volumus restitui integrè quicquid pro expensis Fratrum conuenientium in Capitulo, Monasterium illud vbi fuerit Capitulum celebratum exposuerit.
3. De eo autem quod superest, distribuatur unicuique per Præsidentem, & Visitatores vt maiori parti eorù videbitur expedire, pro expensis faciendis anno illo.
4. Quo factò si adhuc supererint, penes Depositarium remaneant: aut pro ea quam indicauerint rata distribuant, habita consideratione cui maior incumbat expensa. Denique illam pecuniarum quantitatem, quam Diffinitores decreuerint persoluendam, creditores Congregationis præfatæ effectualiter restituant: & in libro computorum Congregationis Depositarius adnotet.
5. Volumus etiam, quod pecunias pro Monasteriorum subventionibus deputatas extrahi (prout commodius fieri poterit) Præsidentis imponant, nec non & pecunias pro expensis bonum Congregationis concernentibus per Diffinitores deputatas, iuxta eorum ordinata distribuant, in præsentiarum si adfuerint, aut intra annum exigendas (prout opus fuerit) disponant.
6. Ordinamus quod si aliquod Monasterium teneatur in debito liquido, aut per Capitulum & Visitatores liquidato Congregationis

tionem, aut alicui alio Monasterio in quacunque pecuniarum quantitate, aut alia re, eique preteritum fuerit tempus à præfato Capitulo vel Visitatoribus, intra quod soluere debeat: si elapso dicto tempore fuerit requisitus eiusdem Monasterii Prælatus, & intra quindecim dies non satisfecerit soluendo aut deponendo realiter pecunias, aut res ipsas, ad voluntatem creditoris: priuetur anno sequentia actiua & passiva voce Capituli. Si verò debitum illud fuerit ratione Taxarum, soluat cum illo etiam totum interesse: & pœniteat prout supradictum est, si tamen in culpa ipse fuerit.

7. Si autem Cellerarius à Prælato monitus supradicta adimplere neglexerint: tandiu qualibet hebdomada quarta & sexta Feria in pane & aqua ieiunet in terra in Refectorio, quoad usque sibi imposita adimpleuerit cum effectu.

8. Et quia pro necessitatibus Congregationis necesse est, quandoque pecunias à Campsioribus, aut ab aliis mutari: Ordinamus quotiescunque necesse fuerit fieri syndicatus, siue instrumenta procurationis pro quacunque pecunia mutuo accipienda: ante omnia, certa & diffinita summa apponatur in syndicato. Et tres ad minus Procuratores constituantur, qui omnes simul (si commodè fieri poterit) vel saltem duo eorum, numerationi & receptioni pecuniarum intersint.